


August Varenius Matthäus Laurentius

**Breviarii Theologici Disputatio ...**

**6 : De Praedestinatione, eius sc. conceptu generico, ac Reformatorum superioris & nostri seculi sententiarum sive intervallo, sive temperamento**

Rostochii: Kilius, 1668

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74621183X>


Band (Druck) Freier  Zugang



RU theol. 29.Aug. 1668

Varenius, Aug. / 6



















BREVIARIUM THEOLOGICUM  
Controversiarum post publicatam FOR-  
MULAM CONCORDIÆ inter Theologos  
agitatarum.

7.

DISPUTATIO VI.

26

DE

PRÆDESTINATIONE,  
ejus sc. conceptu ge-  
nerico,

ac  
Reformatorum superioris & nostri seculi sententiarum  
sive intervallo, sive temperamento,

Quam

Moderatore Deo & Patre Domini  
nostri JESU CHRISTI


PRÆSIDE

AVGVSTO VARENIO D.

Publicæ collationi Academicæ

ad diem 29. Augusti hor. ab 8. antemer. in Auditorio  
magno submittet

MATTHÆUS LAURENTIUS,  
Philos. Magister.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr. Anno 1668.

1668

15



riò futura sunt, sub necessariâ, & quæ contigenter aut ex libero arbitrio, sub contingentis futuritionis, signo præscit, nec adeo ullo modo lædit libertatem naturæ creatæ.

§ 6. Oblinamus *impetror* nostrum sequenti Syllogismo: *Quæcumq;* Scientiâ negatâ negaretur omne decretum Dei circa deliberationem humanam, illius negatio nequaquam est admittenda. A. Scientiâ conditionatâ negatâ &c. E. Præmissarû veritas radicatur in necessitate dependentiæ causæ secundæ à primâ. Min. prob. In cassum laborabit Architectus de extruendâ domo, omnem curam de mediis negligens. Similiter virtutem vocationis efficacis, meriti Christi, fidei justificationis ante cognoscere Deum, quàm decernat de conversione hominis, quis negabit? Quicquam temerè aut ~~cassè~~ decerni à Deo vel cogitari absõnum erit. Illa verò scire, est scire conditionaliter.

Ad Clarissimum Dn. RESPON-  
DENTEM.

**T**u quoq; succedis. Sed non pro Virgine pugnans  
Illius ad fistes sacra tropæa pedes.  
Altiùs egressus, quantum prædestinet æther  
Adspicis, atq; tenes templa dicata DEO.  
Crede chorus sacer ipse faver, Varnusq; decoram  
Egregii sobolem te videt esse Patris.  
Nec deerit quæ sparra vocet Tu macte supremo  
Mitte, quod hic sacris addidit, alter habet.

Honori & amori erga Cl. DN. RESPONDENTEM,  
pietate, modestiâ studio DEO se Patriq; pul-  
cherrimè probantem

A. VARENIUS.





INCLUTÆ. REIPUBLICÆ,  
R O S T O C H I E N S I S.  
C O N S U L E S.  
S Y N D I C O S.  
S E N A T O R E S.

V I O S. M A G N I F I C E N T I A, N O B I L I T A -  
T E. A M P L I T U D I N E. A U T O R I T A T E. P R U D E N T I A.  
E T. O M N I, R E R U M, B E N E. G E S T A R U M,

G L O R I A, S P L E N D I D I S S I M O S.

P A T R I Æ. P A T R E S. (M O S.  
D O M I N O S. M E O S, B E N I G N I S S I S S I -  
P A T R O N O S. M A X I M O S.  
P R O M O T O R E S. S U M M O S.

I N.

H U M I L L I M Æ. S U B J E C T I O N I S.  
A R G U M E N T U M.

A C.

G R A T I S S I M Æ. M E N T I S.  
S Y M B O L U M.

S U B M I S S A. C H A R T A C E I. H U J U S.  
M U N I S C U L I. O B L A T I O N E. V E N E R O R.

Æ T E R N U M. D E V O T U S. C I V I S.  
A C. C L I E N S.

*M. MATTHÆUS LAURENTIUS*  
*Rostochiensis.*



De Scientia Dei conditionata

§. 1.

**E**xecrabilis omnino Calvinianorum Absolutorum (quos vocant) pertinacia est, quæ Scientiam Dei conditionatam impugnant. Compendio usus fontes objectionum ostendam.

§. 2. Petunt ergo Adversarii objectiones vel (1.) ex eo, quod futura sub conditione non possint cognosci, quia non sint determinatè vera; vel (2) quia præscientia illorum non consistit cum nostrâ libertate. Joh. Pet. Univ. Theol. Part. I. Lect. XXIV, fol. 75. init. De utroq; paucis.

§. 3. Suppono scientiam conditionatam (a) non esse eandem cum illâ quæ communiter media dicitur, medians inter scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, inter purè naturalem & purè liberam: sed simplicis præcisè esse intelligentiæ (b) conditionatam dici non subjective; sed objective, melius, conditionatorum (c) hinc sequitur: subjective absolutam esse. Licet enim non terminetur in futurum absolute, tamen absolute terminatur in futurum cum conditione. Smising. tract. III. de Deo Disp. II. de intellectu Divino n. 164.

§. 4. His præmissis R. ad prius dist. (1) inter veritatem & certitudinem, (2) inter intellectum creatum & increatum. Veritas Metaphysica rebus ipsis intrinseca nullam habet dependentiam formalem à conceptu subjecti extrinseci. Quocunque modo res se habent in esse actuali, eodem & in potenciali: Quod si futura sub conditione, quando actu sunt, habent determinatum esse actuale, habebunt similiter cum futura adhuc sunt, esse determinatè futurum sc. ex suppositione existentia futuræ. Determinatè yetò certa sunt sub conditione futura, intellectui increato simpliciter. Veritas cognitionis mensuratur à re cognita: propositionum ex præsentia. Brev. Eult. Log. Quæst. CIX.

§. 5. Contra posterius ita infero: Præscientia Dei tollit libertatem à rebus futuris, aut quatenus præscientia est, aut quatenus Dei est. Non prius: Quod si enim præscitum futurum ideo necessariò est futurum, quia præscitur, præscientia Astronomi erit causa Eclipsæ: Falsum: Præscientia in Deo, futuri peccati, erit causa illius peccati: blasphemum. Præscientia non magis est causa futurorum quàm Postscientia Præteritorum. Non posterius: Deus suas ipsius actiones præscit. E. Deus non nisi (stante hypothesi) ex necessitate operabitur: impium. Scientia Dei nullomodo est coactiva, quæ necessa-  
riò



SECTIO V. De Prædestinationis decreto, seu protese

divinâ τῆ κατ' ἐκλογῆν.

§. I.

Quæsitū de ipso prædestinationis conceptu generico, vel genere quasi Logico, an hoc sit actio divina, an decretum? Et cum hoc quoq; sit actio vel ratione intellectiois & volitionis practicæ seu operosæ in externo objecto supposito, liber actus, imò in ipsâ electione contineatur decretum, proinde quæritur: An prædestinatio sit ipsum decretum, an verò juxta decretum actio s. actualis objecti adæquati, quod est πρὸς ἄλλο. Ἰανὰτῃ Apoc. 2. 10. ad vitam æternam segregatio? Affirmatur posterius. Ratio (1) ex Act. 13. 48. Electio est divina, crediturorum, ad vitam æternam ORDINATIO. Ordinati sunt. E. Deus ordinat. E. hæc est divina ordinatio. E. electio ordinatio. E actio ad minimum enunciativè, sed & quia nihil obstat, definitivè. Ratio 2. ex Epist. ad Eph. c. 1. v. 5. ubi προορισμὸς s. prædestinatio facta dicitur κατ' τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματῃ s. juxta beneplacitum voluntatis divina, conf. quoq; v. 9. & in primis v. 11. ubi notetur pulcherrima subalternatio enunciationum: sc.

DEUS

ἐνεργεῖ τὰ πάντα

κατ' τὴν βουλήν τοῦ θελήματῃ αὐτοῦ

προορίζει

κατ' τὴν πρόθεσιν

Deus adeò dum προορίζει s. prædestinat, ἐνεργεῖ operatur vel agit, & quidem sic ut, quatenus προορίζει s. prædestinat, sit ἐνεργῶν s. agat, & ipse adeò προορισμὸς s. prædestinatio sit revera ἐνέργεια Dei, juxta decretum, quod in negotio salutis s. prædestinationis appellatur πρόθεσις, vel εὐδοκία τοῦ θελήματῃ, prout in actione providentiæ generali vel aliâ speciali vocatur βουλή τοῦ θελήματῃ i. e. consilium voluntatis. Habet adeò illa ἐνέργεια τῶ πάντων ad prædestinationem s. προορισμὸν, rationem conceptus generici in ordine ad speciem, prout illa βουλή τοῦ θελήματῃ ad εὐδοκίαν rationem conceptus generici s. generalioris, ad specificum vel specialio-

R

rem,

Aa.



rem, & ipse quidem *προορισμός* etiam definitivè (in quantum actiones illæ Dei definitionem admittunt) est *ἐνέργεια* s. operatio Dei: sed non contrà, omnis *ἐνέργεια* est *προορισμός*: & omnis quidem *πρόθεσις* & *εὐδοκία* s. *εὐδοκία* ἢ *προέθετο ἐν αὐτῷ* est *βουλὴ τοῦ θελήματος*: sed non contra. Si ergò, omnis *ἐνέργεια* essentialis Dei, quatenus terminatur in creaturis, est juxta decretum. E. & *προορισμός*. Atque hoc ipse Apostoli est argumentum. Ratio (3) synonyma *electionis* sunt *actiones*. E. & ipsa *electio*. Probatur antecedens: *Inscriptio in librum vite, ordinatio ad vitam æternam, consignatio in manu Dei* &c. Ratio (4) *Decretum* est regula *predestinationis* s. *electionis*. E. non ipsa *electio*. *Electio fit juxta decretum* (propositum, beneplacitum, consilium voluntatis) E. non est ipsum decretum s. propositum. Supponendum hic, synonyma esse decreto, *propositum* s. *πρόθεσις*, *beneplacitum voluntatis* s. *εὐδοκία θελήματος*, item *εὐδοκία* ἢ *προέθετο ἐν αὐτῷ*.

§. 2. Probatur magis ex Ep. ad Rom. c. 8. 28. 29. (ubi datur integer syllogismus electionis, cujus lc. *propositio* est *πρόθεσις* v. 28. *assumptio* *πρόγνωσις*, *conclusio* *προορισμός*, quem actum æternum, in executionis ordine sequitur *vocatio, justificatio, glorificatio*) 1. Tim. 1. 9. & imprimis, ad Ephes. 1. 5. 9. 11.

§. 3. Notentur hic tria subordinata: 1. in propositione genericâ, descendendo: sc.

1. *Θέλημα*. 2. *βουλὴ*. 3. *ἐνέργεια* v. II.

huic in negotio salutis correspondet

- |     |   |   |  |                             |
|-----|---|---|--|-----------------------------|
| vel | } | 1. <i>Θέλημα</i> 2. <i>εὐδοκία</i> .                  |  | 3. <i>προορισμός</i> v. 5.  |
|     |   | 1. <i>Θελ.</i> 2. <i>πρόθεσις</i> .                   |  | 3. <i>προορισμός</i> v. II. |
|     |   | 1. <i>Θελ.</i> 2. <i>εὐδοκία ἢ προέθετο ἐν αὐτῷ</i> . |  | 3. <i>προορισμός</i> v. 8.  |

In Apostolo *βουλὴ* supponit τὸ *θέλημα*, æquè ac ἡ *εὐδοκία*. Primum ergò est *θέλημα* s. *voluntas divina* omnium Dei actionum causa: secundum est ἡ *βουλὴ* s. *consilium voluntatis*, quod in specialissimo hoc *Electiois* opere appellatur ἡ *εὐδοκία*, item ἡ *πρόθεσις*, vel copulando: ἢ *προέθετο ἐν αὐτῷ*, & habet instar regulæ, prout sub nomine *βουλῆς* extra negotium redemptionis in operatione



rationibus universalibus: ita hic in negotio salutis s. *electionis*, sub *εὐδοκίας* & *προθέσεως* vocabulis. Idem ergo est *προθεσις*, quod *βουλή τῷ θελήματι*, vel *ἡ εὐδοκία τῷ θελήματι*. Et juxta hanc *προθεσιν* (*προγνωσιν* & *προορισμένους*) actu jam vocantur, & sic electi sunt *κλητῆ καὶ προθεσιν* Rom. 8. 28.

§. 4. Sicut *προορισμός* non est ipsa *προγνωσις*, etsi facta *electio* juxta *προγνωσιν* s. *præscientiam*: ita & *electio* non est ipsa *προθεσις* s. ipsum *propositum*, etsi facta est juxta *propositum*: conf. Rom. 8. 29. 1. Pet. 1. 2. Eph. 1. 11. 2. Tim. 1. 9. Distinctio illa *propositi* (s. *decreti*) & *electionis* juxta *decretum*, illustrat maximè Dei gratiam, efficacem energiam, & laudem gloriosam, dum omnia sub ratione principii (in *προθεσει* s. proposito) medii (in *προγνωσσει*) finis (in ipsâ ad gloriam electione s. *προορισμῶ*) vindicet soli Deo, sine synergismo humano. E. Ratio consequentiæ est finis *electionis*, sc. *laus gloriosa gratia Dei* Eph. 1. 6. 12. cui adeò accommodanda electionis tractatio.

§. 5. Benè Mentzerus disp. 14. de electione Filiorum Dei: *Non probamus*, inquit, *hos, qui verbum eligendi s. prædestinandi, exponunt pro decreto s. proposito eligendi, additâ ratione, quia electio fit in tempore, decretum autem in æternitate. Quæ explicatio scripturæ adversatur, & ejus ratio manifestè falsa est, & plurimis conficitur absurditatibus.* Benè quoq; Hulsemannus in breviario: *Prædestinatio*, inquit, *non est nudum decretum, cujus executio in tempore fit, quale est decretum vocationis & glorificationis* Rom. 9. 25. 26. 27. Joh. 6. 39. *sed est actualis & æterna separatio quorundam hominum à cætu non salvandorum.* 2. Tim. 1. 9. 10. Matth. 25. 34. Objicitur locus Rom. 9. 11. *Propositum est juxta electionem.* Resp. Particula *καὶ* objectum hic notat, non *causam*. Sensus: ut *propositum illud Dei, quantum ad electionem attinet, (sive circa, vel in electione) maneret.* Objicitur: Thes. 2. 13. Resp. hypothesis falsa; agi ibi de electione singulorum Thessalonicensium conversorum, & hæc in tempore. Obstat illud *ἀπ' ἀρχῆς*. Concludimus: In electione quidem continetur *propositum*: at *electio* non est *ipsum decretum*: sed *actio specialissima divina juxta decretum.*      **SECTIO**



SECTIO VI. De temperamento & absolute Sublapsariorum  
in articulo Prædestinationis.

§. 1. Quàm in Prædestinationis articulo horrida fuerit Calvini, Bezae, Piscatoris, Zanchii, Gomari caterorumque ante Dordracenam Synodum Calvinianorum doctrina, & ex scriptis illorum publicis constat, & ex syllabo testimoniorum in Actis Remonstrantium à p. 25. ad 39. in script. dogmaticis. Summa est Deum decrevisse alios ad vitam æternam eligere, alios ab eadem reprobare, ordine prius, quàm eosdem creare decreverit. 2. utrumq; illud absoluto beneplacito, citra ullius vel fidei, vel incredulitatis s. peccati intuitum. 3. & utrumq; ad demonstrationem gloriosam suam, in illos, misericordiam, in his, justitiam. 4. Decreto illi de finibus absolute intentis subordinata esse talia media, per quæ ad fines illos inevitabiliter perducerentur; & Deum non tantum ad damnationem; sed etiam ad causas damnationis hominem sola sua voluntate prædestinasse. 5. Hoc consilio in uno Adam omnes creasse, lapsum ordinasse, Adam gratiam sufficientem subtraxisse, procurasse Evangelium prædicari, homines externe vocari, conferre illis dona quedam S. Spiritus, ut essent media, per quæ eorum aliquos ad vitam æternam perduceret, alios vite beneficio destitueret. 6. Christum Mediatorem non esse Decreti electionis fundamentum, sed saltim executorem. 7. Quod alii efficaciter vocantur, justificantur, perseverant, glorificantur: alii deseruntur, Christus iis non datur, quod prorsus non, aut ineffaciter vocantur, indurantur, damnantur, causam esse, quod illi absolute ad vitam æternam sint electi, hi autem reprobati. 8. Reprobos omnes ad incredulitatem, impietatem & peccata tanquam media & causas damnationis destinatos, imò nunquam dilectos; sed æterno justoque Dei decreto ad æternam damnationem creatos, & inde occulto & arcano Dei consilio in communi miserià relictos, eodemq; momento, quo in Adamo vasa, etiã vasa ira factos esse. 9. In reproborum numero, censeri etiam nonnullos fidelium, liberos, quibus nec baptismi sacrum lavacrum, nec preces Ecclesie ullo modo ad salutem prodesse possint: sed qui sive superviventes, sive postquam in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. baptizati sunt, decedentes,  
ab/or



absoluto & horribili quidem: sed justo decreto Reprobis adscripti  
damnentur.

§. 2. Apparet idem ex collatione sententia I. Piscatoris  
de predestinatione, cum facto Tiberii virginem strangulari vo-  
lentis Conf. Apol. Bert. cont. Pisc. & Diagramma Beza,  
quod est in oper. part. ult. p. 403. idemq; tale:

DEI summè		MISERICORDIS	ἰσχυροῦς		æterna
		JUSTI	ἀειγνώστου		optima
					immutabilis

ΠΡΟΟΡΙΣΜΟΣ

de quibusdam absolutè

Eligendis & servandis per mi-  
sericordiam in unico MEDIA-  
TORE DN. nostro JESU  
CHRISTO

Reprobandis & justè damnandis

CREATIO in recto statu

Corruptio spontanea & totius generis humani in Adamo  
Vocatio efficax ad Christum  
Fides ex auditu  
Fidei effecta  
Vita æterna ex merâ Dei  
misericordiâ

Derelictio justa in corruptione  
Induratio  
Indurationis effecta  
Mors æterna

GLORIA DEI.

summè misericordis

| summè justis:

§. 3. Ab illis Antecessoribus Dd. quoad horrida illa po-  
stulata, quibusdam Theologis A. Conf. recessisse visi Dordraceni  
quique post Dordracenam synodum nationalem anno 18. & 19.  
hujus seculi celebratâ, scripserunt DD. Reformati, quippe qui in  
electione & reprobatione lapsum supponant, & ipsum adeo san-  
ctissimum Numen, quippe quod non teneatur homini restituere,

R 3

re, quod



re, quod propria sua culpa in Adamo amisit, ab omni iniquitate contra defensores juris *ànd. durius*, satis absolvant, cum juxta Dor- dracenos Canones prædestinationis Diagramma sequenti mo- do incedat:

DEI SUMME MISERICORDIS & JUSTI

1. Decretum *Creationis*

2. Prævisio *spontanea*

*prolapsus & communis*

*miseria*

Ex liberrimo voluntatis bene- placito

Ex liberrimo, justissimo, irro- prehensibili, immutabili beneplacito

Absoluta quorundam Electio

absoluta quorundam præte- ritio seu non Electio

& adeò absolutum decretum de his salvandis

absolutum decretum de his in com- muni miseriam relinquendis,

CHRISTI velut capitis electorū prædestinatio & mediatoris constitutio: ipsumq; adeò me- ritum Christi ordinatum pro solis antecedenter jam electis

CHRISTI, salvificæ fidei, con- versionis gratiæ, absoluta ne- gatio.

Efficax vocatio ac tractio ele- ctorum & adeò veræ fidei donatio,

In viis suis & sub justo judicio relictio.

justificatio, s. horū actuū sanctificatio divinorum perseverantia decretum glorificatio

Infidelitas finalis damnatio vel hujus de- cretum.

ad demonstrationem

Gloriosæ suæ gratiæ s. miseri- cordiæ.

Dei tremendi, irreprehensibi- lis & justii judicis ac vindicis justitiæ.

§. 4. Juvat



S. 4. Juvat paucis *distanciam* dogmatistarum uiorum s. *diagrammatum* dogmaticorum mensurare, & *an* siue *multum*, siue *nihil* siue *parum* illis intersit? ponderare. Ubi notamus La Dordracenos in hypothesi tum *electionis*, tum *reprobationis* absolutæ, nihil de Antecessorum rigore remisisse: sed in utraq; *absoluti Decreti* defensores perseverasse, quod non solum ex sententiâ Genevensium *de Remonstrantium exceptione adversus Synodicum Decretum* in actis p. 212. (ubi doctrina de *Gratiâ Dei absolutissimâ*, *primum omnium in medio foro & luce ponenda*, *Ecclesiæ cor*, & *Palladium* nominatur, quo discrimini erepto facilis conciliationi cœtera futura sint) non solum ex totiens inculcatâ doctrinâ Synodicâ de *Electiōe non factâ in Christo antecedenter per prævisam fidem: sed consequenter*, ut demum *jam electi fide & spiritu insereremur Christo, tanquam membra capiti, essemusq; in Christo post electionem* (vid. in actis ex. art. 1. Remonstrantium p. 294.) sed & ex ipsis articulis & horum interpretationibus Synodicis liquido constat.

S. 5. Ita: *Electio* describitur, quod sit *immutabile Dei propositum*, quo ex universo genere humano in peccatum prolapsa secundum liberrimū voluntatis suæ beneplacitum certam quorundam hominum in communi miseriâ cum aliis jacentium multitudinem ad salutem elegit &c. prout porro docet Synodus: *Quosdam (certas & singulares personas) in electione Dei præteritos, quos sc. Deus ex liberrimo justissimo & irreprehensibili ac immutabili beneplacito decreverit in communi miseriâ, in quam se suâ præcipitaverint culpâ, relinquere, nec salvificâ fide & conversionis gratiâ donare: vid: in Actis in. Canon. primi cap. art. 7. & 15. p. 341. 343. Unde velut errorem Pelagianum s. Semipelagianum rejiciunt, Dei illud beneplacitum ac propositum fide in Christum esse conditionatum p. 345. & nullam planè electionem ex fide prævisâ agnoscunt, siue ut prævisa fides ponatur electionis causa, siue conditio vid. Confessio Petri Molinæ Pastoris Parisiensis in actis p. 395. 396. qui idem ibidem pro absolutâ electione*



electione & reprobatione prolixè perorat; *Christus ipse*, scribit Molinæus, quatenus homo & mediator, est quidem caput electorum, imò causa meritoria salutis & *l'orgueil*: sed non est causa electionis, & cur de duobus peccatoribus alter alteri preferatur. Causa electionis quarenda est in Dei beneplacito & amore gratuito, qui ordine antecessit intercessionè filii. Idem ibid. Et si peccatum est causa meritoria destinationis ad pœnam, non est tamen causa voluntatis, per quam Deus ponit discrimen inter electos & reprobos. Causa discriminis est mera Dei *invidia*, quâ ei visum est, hos donare Christo: cæteros verò in insitâ corruptione & commeritâ maledictione relinquere: (super quo delectu nefas est Deo litem intendere: sed usurpandum illud Pauli: *O homo, tu quis es?* Rom. p. 20. Act. Dordr. p. 400. 401.

§. 6. Hæc sanè Molinæi Dordracena (pro quibus, laudato hoc ipso velut accuratissimo iudicio & consensu in doctrinâ, decretum in Synodo sess. 144. p. 411. gratias ei agendas) planè conveniunt cum illis Piscatoris paradoxis: *Deus in predestinatione non spectavit, an quis usurus esset gratiâ & fidem præstiturus Evangelio, nec ne?* Denique nihil spectavit extra se, adeòq; ne ipsum quidem Christum, quippe quem ipsum quoque ut agnum pro nostris peccatis expiandis mactandum prædestinavit 1. Pet. 1. 20. Quotquot ad vitam æternam prædestinati sunt, absolutè prædestinati sunt, ita ut etiam ideò credant & servent legem, quia absolutè prædestinati sunt. Vid. Joh. Pisc. loc. 19. de præd. thes. 22. 25.

§. 7. Sic in Iudiciis Theolog. Provincial. p. 86. in quaestione: *An Deus ex suo beneplacito quosdam homines decreverit in lapsu & miserâ relinquere, mediâque ad fidem & conversionem necessariâ iis non conferre?* negativam Remonstrantes: at affirmativam Fratres Noorthollandi tuentur, qui iidem p. 87. negant, in ipsis hominibus Reprobis statuendam esse causam desertionis s. non electionis, quia hæc non alia esse potuisset, quàm peccatum & infidelitas. At si hæc causa fuisset non electionis seu desertionis, omnes homines absq; exceptione ullâ deserendi fuissent. Omnes enim (suâ naturâ in facies & pec-



Speccatores sunt. Et eadem causa in eodem subjecto eundem semper effectum producit. Ibidem p. 88. rejecto dogmate Remonstrantium, quod Deus neminem precisè ex suo beneplacito, vel jure potestatis & dominii absoluti decreverit in lapsu Adæ aut miseriam relinquere, ponunt contrarium, & verum verboque divino consentaneum esse dicunt: Deum mero suo beneplacito decrevisse, non eligere i. e. præterire, quos ipsi visum fuit: nec iis media ad conversionem & salutem necessaria ac sufficientia conferre. Causam igitur, cur Deus hoc per Evangelium vocet, illos non vocet, solam esse Dei voluntatem affirmant, qui media ad conversionem & salutem necessaria confert, quibus vult, & quibus non vult, non confert, pro suo beneplacito. Et iterum p. 154. rejectâ thesi Remonstrantium, quæ talis fuerat: Reprobatio facta est secundum considerationem antecedentem infidelitatis & perseverantiam in eâ, opponunt sequentem thesin: Reprobatio (prout electioni ad salutem opponitur) est decretum Dei æternum, quo statuit ex genere humano lapsus non eligere: sed in ruinâ & perditione, in quam se homines præcipitarunt, relinquere, omnes illos, quos & quia sic ipsi visum fuit.

S. 8. Frequens Dordracenis latibulum est distinctionis inter reprobationem negativam (non electionem, præteritionem, desertionem, in communi miseriam relictionem) & positivam s. destinationem ad pœnam, damnationem, quæ, velut actus judicarius, non sit absoluta: sed supponat culpam primi lapsus, infidelitatem, & cætera omnia peccata, cujus adeò respectu, nostro aliquando armantur clypeo vel argumento e. c. ob quam causam Deus damnat in tempore, ob eandem etiam damnare decrevit in æternitate: Atqui propter incredulitatem &c. E. Conf. in Act. p. 101. ad thes. 8. p. 506. in Judic. p. 402. Addit Molin. ibidem: Nihil obstat, quò minus Deus considerans hominem jacentem in corruptione & pravitate naturali, eundem quoque consideret pollutum istis peccatis, que per istam pravitatem naturalem est commissurus, qua maxime sunt: Incredulitas & rejectio Evangelii. Deum quenquam destinasse ad pœnam æternam, sine consideratione vel impenitentia vel incredulitate.



ois, nec dicimus, nec sentimus. Ita in Act. p. 343. art. 15. distinguitur inter decretum relictionis in communi miseriâ, & decretum damnationis & aeternae punitionis, s. destinationis ad poenam, quorum illud absolutum, hoc ad infidelitatem & cetera peccata velut causas meritorias respectivum. Sic in jud. prov. Northollandi p. 88. fatentur, Deum ab aeterno non decrevisse quenquam damnare nisi propter peccatum: negant tamen, antecedentem infidelitatem & in illâ perseverantiam praevisam, causam esse, cur eos homines Deus non elegerit, aliamq; adeo ponunt causam non electionis s. praeteritionis, aliam damnationis s. decreti damnationis. Ita in judic. p. 16. Beneplacitum Dei est vera causa praeteritionis, quam reprobationem negativam vocamus: ceterum non nisi propter peccata reprobos justissimè punit, & p. 89. Northollandi: Deus quidem ab aeterno non decrevit aliquem damnare nisi propter peccatum: at peccata, i. e. infidelitas, perseverantia in illâ, vel quodcumq; actuale peccatum à Deo praevisum non sunt causa cur eos homines Deus non elegerit, quos justè propter peccata damnat: cum alia sit causa non electionis s. praeteritionis, alia damnationis. Hujus enim unica & sola est peccatum: illius verò sola Dei voluntas s. eudoxia. conf. quoque p. 154. & in part. I. p. 544. ubi reprobationis actus negativus s. non electio ex Apoc. 17, 8. alter positivus, s. praeparatio poenae ex Rom. 9. 22. ab illis asseritur.

§. 9. Non tam in distinctione reprobationis in negativa & positivam ( quae sano sensu admitti vel bonâ explicatione conciliari poterat) quàm in applicatione illius Calvinianâ, & sive utrâque, sive alterutrâ, absolutâ assertâ, damnationisq; decreto, sive reprobationi contradistincto, & inter actus reprobationem consequentes novissimè, ac post incredulitatem vel impoenitentiam finalè collocato, sive ad positivam relato, haereticus est: cui opponitur; reprobationem non esse absolutam, non solum quoad actum positivum, s. judicialem hominis infidelis destinationem ad poenam s. mortem aeternam: sed nec quoad actum negativum, s. praeteritionem, non electionem, desertionem, relictio-

nem



nem hominis in *communi miseria* (s. peccato originali, & actuali) *exclusionem* ab illâ *gratiâ & gloriâ*, saltem ideo, *quia non placet eam eripere*: sed utroq; respectu (quo & utroque, non altero, *negativo solum*, Prædestinationi opponitur) esse *hypotheticam*, habentem pro objecto *voluntariam & vincibilem hominis infidelitatem*, ob cuius *finalem continuationem* Deus, tanquam justus iudex, prout hominem in tempore non glorificat: sed condemnat: itaque quoque ab æterno, suppositâ *αεγυώσει*, non solum non glorificare: sed, & condemnare decrevit s. voluntate consequente morti æternæ adjudicavit, atque sic reprobavit.

S. 10. Neq; vero in decreto punitionis s. *damnationis*, respectum Dei ad *naturam corruptam*, velut *proximam* in singulis damnationis, & ad hanc destinationis æternæ, *causam*, negavit *supralapsarius* (e. c. Calvinus) dummodo supponatur *causa remota* s. prima, *arcanum* sc. Dei alios ad vitam æternâ, alios ad exitiū æternū *absolutè prædestinantis* s. à gratiâ & gloriâ excludentis *consilium*, quam velut *optimam & aptissimam causam propinquam & remotam symmetriam*, commendare solent, & postulare *supralapsarii*, ut *fides nostra*, *arcanum illud Dei consilium* procul adoret, & *tamen*, quod *propius in unoquoq; apparet* s. *reatum illum mortis*, quo in *Adami personâ constrictus*, & *propter quem morti est obnoxius*, *conficiat*, & sic *causam propinquam evidentem* contempletur potius, quàm *absconditam & incomprehensibilem* penitus inquirat in *DEI prædestinatione*: neq; sive ipsa Synodus Dordracena agnovit, sive interpretes hujus, quicq; post illam scripserunt, Reformati, videri voluerunt, quicquam, quâ rem ipsam, remisisse à rigore Prædestinationum *supralapsariorum*, in hypothesis *absolute reprobationis*: usq; adeò, ut maluerint potius distinctionis illius fundamentum labefactare s. totam illam, prout habet in applicatione quorundam Calvinianorum, in dubium vocare, quàm per illam quicquam de absoluto reprobationis consilio, censerî remisisse.

S. 11. Nec apparet, quomodo *reprobatio negativa* sic ab-

S 2

strahi



Strahi possit à *positivâ*, ut non, altera alteram includat, & absolute decretum *in negativâ* concessum, *in positivâ* inferat. Si enim Deus ante & extra prævisionem finalis impœnitentiæ ac incredulitatis absolute decrevit longè plurimos in communi miseriâ & infidelitate relinquere, non eligere: sed præterire, deserere, à gratiâ & gloriâ, mediis item gratiæ & gloriæ, c. c. vocatione efficaci, merito Christi, fide justificante excludere, quâ exclusione stante non possunt non increduli finaliter esse, positivè reprobati s. ad pœnam æternam per damnationis decretum destinari, utiq; prout absolute præterivit, sic absolute quoq; ad ignominiam & æternū exitium, quod materialiter à pœnâ æternâ separare non licet, eos præordinavit, atq; ad eodum negativus tum positivus reprobationis actus absolutus fuerit. Scilicet absolute præteriti, nec credunt nec credere possunt: qui autem non credunt & propter absolutam illam fidei, velut medii gratiæ & gloriæ, negationem, s. non electionem ad gratiam & gloriâ, credere non possunt, illi reprobantur positivè i. e. destinantur ad pœnam s. exitium æternum. Ergò hi quoq; dum reprobantur positivè, reprobantur absolute, & non propter prævisam finalem impœnitentiam & incredulitatem: sed potius absolute vel ex absoluto Dei beneplacito s. decreto & ad peccatum & ad exitium s. & ad finalis impœnitentiæ ac incredulitatis culpam, & ad pœnam æternam destinantur s. *positivè reprobantur*. Scilicet nõ *Electio*, s. *reprobatio* illa *negativa*, est causa impotentia credendi s. negatæ absolute, eluctandi ex infidelitate communi potentia. Hæc incredulitas s. absoluta credendi impotentia est causa *destinationis ad pœnam s. reprobationis positivæ*. E. illa *absoluta præteritio* est causa hujus *destinationis*, & hæc ad eodum illius *absoluta causæ effectus absolutus*.

§. 12. Qui absolute exclusus à gratiâ & gloriâ, ac utriusq; mediis est, non potest non absolute reprobatus, s. ad exitium & pœnam æternam destinatus esse, etsi nihilominus dici debet, prout in tempore ob incredulitatem, & rejectionem Evangelii

damaa-



damnatus : sic in æternitate ad exitium vel damnationis pœnam pro incredulitate cœterisque peccatis infligendam destinatus, non tamen ex prævisione incredulitatis vel propter peccatum: sed absolutè s. propter absolutum Dei beneplacitum vel decretum, prout negativè: ita positivè quoq; reprobatus, s. non solum non electus: sed ad ignominiam & iram s. pœnam æternam quoq; est præordinatus. Aliud quippe fuerit, propter peccatum *positivè reprobari* s. ad exitium vel pœnam æternam in decreto divino destinari: aliud, in eodem decreto *destinari ad exitium* sive pœnam pro peccatis infligendam: & prius quidem reprobationem positivam, quam vocant, quodammodo faceret hypotheticam s. suppositâ prævisione peccati conditionatam, etsi nequaquam fidei analogam: posterius autem eandem relinqueret mere absolutam, nec repugnaret sic præordinatum, positivè quoq; reprobatum, tum ad incredulitatem & finalem impœnitentiam seu culpam: tum mediante hâc ad exitium s. pœnam æternam.

§. 13. Quomocunq; autem loquantur hîc Calviniani, ex suis hypothesebus, in posteriorem sententiam concedunt, & sic *positivam*, quam vocant *reprobationem*, *absolutam* quoque faciunt, etsi in hâc, præprimis in *destinatione ad pœnam* s. *punitio-*  
*nem*, culpam, sine quâ nulla pœna est, includunt, s. inter *decretum*  
& *pœnam* interponunt, ut sic, licet Deus hominem absolutâ voluntate *destinaverit ad exitium*, tamen inter illam *destinationem ad exitium* s. intentionem illam finis, & hujus executionem vel *ipsum exitium*, intercesserit *peccatum*, quod tantum abest, ut causa fuerit destinationis ad exitium, utpotiùs hâc destinatio causa fuerit & peccati & destinationis ad peccatum, atque sic D'EU S quem destinaturus erat ad exitium, simul destinaverit ad peccatum, & reprobatus, non propter peccatum fuerit destinatus ad exitium: sed quia destinatus ad exitium vel supplicium, propterea quoque fuerit induratus & destinatus ad peccatum.

§. 14. Et procedit sanè firma illatio, à reprobatione *negativâ*



tivâ absolutâ ad positivam absolutâ. Si enim supposito lapsu, nihilominus peccatum propterea non est causa *reprobationis negativæ* s. præteritionis, non-electionis, in communi miseriâ relictionis, à gratiâ & gloriâ rejectionis s. exclusionis, & miserendi voluntatis, quia sic, omnes velut ex æquo peccato corrupti, non eligendi, prætereundi, relinquendi, excludendi à gratiâ & gloriâ fuissent, utiq; nec erit peccatum causa *reprobationis positivæ*, s. *destinationis ad æternum exitium*, vel decreti damnationis, quia sic non minùs omnes damnandi, vel ad *exitium æternum* destinandi fuissent, quippe omnes ex æquo peccato corrupti, & adeò peccatores, cujus consequens est, ex hypothesib9 Calvinianorū utramq; illam fore, *absolutam*, & *causam utriusq;* non *peccatum: sed voluntatem Dei absolutam*; Accedit quod tam in illa *reprobatione negativâ*, quam vocant, implicetur pœna *damni*, quam in *positivâ*, pœna *sensus*. Si ergo illa, non obstante ratione pœnali, verè absoluta. E. & hæc. Sed & peccatum illud, quod consideratur in *reprobatione positivâ* vel fuerit (1.) *prævitium & corruptio naturalis* vel (2.) per istam *prævitium* committenda *culpa actualis*, & in hac inprimis (3.) finalis *incredulitas & rejectio Evangelii*.

§. 15. At respectu primi, prout ex hypothesi culpæ velut causæ *præteritionis*, omnes fuissent prætereundi, ita ex hypothesi eisdem, velut causæ *positivæ reprobationis*, omnes fuissent *positivè reprobandi s. ad æternum exitium destinandi*: ac proinde, sicut causæ *præteritionis*, mera Dei *ædokia* s. *voluntas absoluta*: ita & *reprobationis*, etsi hæc supponit lapsum s. *communem miseriam*, causa tamen *adequata & proxima* non fuerit *lapsus* s. *communis illa miseria*: sed absoluta Dei reprobantis *ædokia*, unde factum, ut prout alios *eligeret*, alios non *eligeret*: ita quoq; alios eidem culpæ *obnoxios* non *puniret*, alios ad *exitium vel pœnam destinaret*.

§. 16. Nec respectu 2. & 3. apparet illa causa, quia illa sunt necessarium consequens hypotheticum, vel effectus, absolutæ *præteritionis*. Destinarentur sic ad pœnam propter culpam, quam ex hypothesi absolutæ *præteritionis*, & *avocatione*  
 effica



efficaci, fide actuali, iploque Christi merito absolutæ exclusio-  
nis necessario erant contracturi: Adjudicarentur damnationi  
quod non crederent Christum pro se mortuum, pro quibus ta-  
men reverà Christus mortuus non est, & qui si id crederent, fal-  
sum crederent, vel si id credere possent, ratione universalis ob-  
jecti, non tamen id credere possent ratione principii s. absoluti  
beneplaciti, per quod aliis fide donatis, ipsi à fide sint exclusi,  
non nisi, quia sic placuit DEO prædestinanti: Apparet adeò  
quomodo per Dordracenos tota reprobatio, etsi infra lapsum  
posita, tamen absoluta statuatur, quamq; per malè ab illis ex-  
plicatam, & pejus applicatam distinctionem illam negativæ &  
positivæ reprobationis s. præteritionis & ad exitium s. pœnam  
destinationis, interpolatum potiùs vel incrustatum supralapsa-  
riorum dogma fuerit, quàm ab hoc abitum in Scholâ Reforma-  
torum.

S. 17. Sed nec illa *reprobationis negativa & positiva* distia-  
ctio, supralapsariis (quos sic appellant) ignota adeò fuit, ut non  
Primarii illorum & oculatiores e. c. Calvinus, Zanchius, Wita-  
kerus, jamdudum hic occupaverint portum, nudumq; remi-  
gio Prædestinatianorum latus agnoverint. Agnoverunt sanè  
*decretum non miserendi, non dandi vitam aeternam s. ipsam non ele-  
ctionem & ad media & ad finem* (etsi non ineptè scholasticis *repro-  
batio negativa* appelletur) *in ipsa negatione, affirmationem* contra-  
rii includere. Decretum de non dando vitam multis, aut de-  
terminatum fuisse s. conjunctum cum voluntate s. decreto con-  
trarii vitæ, aut indeterminatum, sic ut nihil certè & affirmatè  
fuerit definitum. Cumq; posterius non nisi absurdissimè cogi-  
tari possit, prius affirmandum: atq; adeò non minùs reproba-  
tionis positivæ, quàm negativæ decretum absolutum omnibus  
modis asserendum. Nec, qui post Dordracenam Synodum scri-  
pserunt, recessum hic suum ab Antecessorum Dd. sententiis  
agnoscere voluerunt: sed vel apertè rejecerunt, ipsumq; pecca-  
tum, aut impœnitentiæ ac incredulitatis finalis prævisionem  
causam




causam decreti reprobationis ( sicut hæc secundum illam facta ) simpliciter negarunt, vel sic explicuerunt, ut nihil alienum à doctrinâ Antecessorum hic docere vel credere sese liquidò ostenderint, quomodo ex recentioribus, allegato laudatoque Wita-kerro, Maccovius loc. Com. disp. 29, p. 141. Omnes, inquit, homi-nes, cum creatura Dei sint, oportet ad fines suos divinitus ordinari. Nec passer aut pilus cadit in terram absq; voluntate Dei, & homines tam multi sine decreto & voluntate Dei in æternum exitium ruent? Ergo dici potest Odium hoc etiam positivum, dum sc. hos tales, quibus noluit vitam æternam dare, destinabit ad æternum exitium. Idem ad argumentum: Deus non odit nisi peccatores, respondet distinguendo, inter odium, quatenus dicit voluntatem puniendi, & quatenus voluntatem dicit ad æternum exitium destinandi. Priori ratione concedit peccati considerationem ante odium, posteriori nequaquam. Sic enim Deus etiam odisse potuit eos, qui non concipi possunt, ut peccatores: nam voluntate hac Dei destinabantur demum ut AD EXITIUM, ita & AD PECCATUM. Addatur ex brevi relatione Colloquii Theolog. Marpurg. & Rintelens. Cassellano p. 7. n. 4. responsum Marpurgensium, qui ad quæstio-nem: An reprobatio nonnullorum sit facta secundum præscientiam fi-nalis impœnitentiæ & incredulitatis? negativè responderunt. Et si enim, non nisi propter peccata illa irrogandam homini in tempore damnationem, à DEO decretam esse, agnoscerent, illorum tamen prædissionem causam esse sive discretionis reproborum ab electis, sive ipsius decreti reprobationis, constanter negarunt. Caterum damnationis causam propinquam peccatum fuisse, nec ipsi ne-gant Supralapsarii, quorum hic cum Infralapsariis anulum co-hærentiæ præter cœteros evidenter ostendit Piscator l. 19. de præ-dest. thes. 16. Reprobatio est decretum aliquorum non miserendi: sed justo iudicio in peccato eos relinquendi, & OB PECCATUM damnandi. Monuit autem idem thes. 34. & 35. Peccatum quidem est causa damnationis, qua sequitur ultimo tempore: non autem præteritionis s. reprobationis, qua fuit ab æterno. Ita ille. Nec aliter sentire Dor-darcenos, jam supra remonstravimus.



















efficaci, fide actuali, iploque Christi merito absol  
 nis necessario erant contracturi: Adjudicarentur  
 quod non crederent Christum pro se mortuum, p  
 men reverà Christus mortuus non est, & qui si id c  
 sum crederent, vel si id credere possent, ratione un  
 jecti, non tamen id credere possent ratione princ  
 beneplaciti, per quod aliis fide donatis, ipsi à fid  
 non nisi, quia sic placuit DEO prædestinanti: A  
 quomodo per Dordracenos tota reprobatio, etsi  
 posita, tamen absoluta statuatur, quamq; per ma  
 plicatam, & pejus applicatam distinctionem illar  
 positiva reprobationis s. præteritionis & ad exiti  
 destinationis, interpolatum potius vel incrustatu  
 riorum dogma fuerit, quàm ab hoc abitum in Sch  
 torum.

§. 17. Sed nec illa reprobationis negativa &  
 ctio, supralapsariis (quos sic appellant) ignota ad  
 Primarii illorum & oculatiores e. c. Calvinus, Za  
 kerus, jamdudum hic occupaverint portum, ut  
 gio Prædestinatariorum latus agnoverint. Agn  
 decretum non miserendi, non dandi vitam aternam s.  
 ctionem & ad media & ad finem (etsi non ineptè scho  
 batio negativa appelletur) in ipsa negatione, affirma  
 rii includere. Decretum de non dando vitam t  
 terminatum fuisse s. conjunctum cum voluntate  
 trarii vitæ, aut indeterminatum, sic ut nihil cer  
 fuerit definitum. Cumq; posterius non nisi absu  
 tari possit, prius affirmandum: atq; adeo non m  
 tionis positiva, quàm negativa decretum absoin  
 modis asserendum. Nec, qui post Dordracenam  
 pserunt, recessum hic suum ab Antecessorum  
 agnoscere voluerunt: sed vel apertè rejecerunt,  
 tum, aut impœnitentiæ ac incredulitatis finalis

